





De pace Augustana vere Augusta.

ANNO 188<sup>a</sup> 6

AD



PACIS AVGVSTISSIMÆ SÆCVLAREM  
**M E M O R I A M**  
IN SCHOLA PLAVIENSI

DIE VI. Octobr. CICICCLV

AB HORA VIII. ANTE MERIDIEM  
CELEBRANDAM  
INVITAT

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS  
RECTOR



---

PLAVIAE, LITTERIS HALLERIANIS.



AD

PCIS AUGUSTISSIME SCIVARII

# M E M O R I A M

IN SCHOLY PLAVIENSIS

DE A. OCTOBR. C. D. CCCXXVII

AB HORA VIII ANTE MERIDIEM

CHELBERRANDIUM

INITAT

M. CHRISTOPHORVS HERMANNVS ROSITVS

RECTOR



PLAVIAE LIBRARIA MILITARE LIBRARIA





Pacis imaginem exhibent non pauci  
numi Romanorum; in quibus saepe  
quidem: PACI AETERNAE, saepissi-  
me: PACI AVGVSTAE, inscriptum  
est. Atque illa sane inscriptio omen  
habuisse mihi videtur, ac publica vota pro perpetui-  
tate aut certe pacis diuturnitate haud obscure signifi-  
casse; huius autem rationis inscribendi plures caussas  
ac tres in primis commemorare licet. Etenim primo satis  
constat, pacem a Vespasiano, post motus civiles com-  
positos, ac bellum in Iudea confeatum, ad religionem  
consecratam fuisse, exaedificato ei, ut Tranquillus  
scribit, iuxta forum amplissimo templo, magnificen-  
tissimeque omnibus rebus, in primis vero Hierosolymita-  
ni fani spoliis exornato. itaque res longe pulcerrima

A 2

atque

atque dulcissima incipiebat dearum in numero esse, pio errore, ac cum rebus caeteris, quae maiorem aliquam vim habere in rebus humanis viderentur, inter numina coli. consentaneum autem erat, nouam deam diuiniore quoque nomine dignari, ac pacem dehinc augustam a populo romano appellari, qui tantum non omnia, quae aut diuina essent, aut certe ad deorum honorem atque dignitatem proxime accederent, Augusta dicere soleret. Deinde vero ex quo tempore Octavianus Caesar tributum sibi Munatii Planci sententia amplissimum Augusti cognomen assumserat, ex eo tempore omnes deinceps imperatores, maximum orbis terrae imperium capeſſentes, Augusti salutabantur, atque ista appellatio fortunae principalis insigne atque indicium erat. ut autem Principum cura ac prouidentia post afflictam bellis ciuilibus, ac prostratam libertatem vniuersa respublica continebatur: ita belli maxime ac pacis arbitria suo nutu tractabant, et vtriusque temporis decora sibi vnis iure quodammodo vindicabant. atque vtinam consilia eorum saepius pacis ac togae socia, quam belli atque armorum fuissent! sed tamen non defuerunt in tanto numero imperatorum, qui aut reddenda pace, aut redditia conseruanda atque tuenda praeclarissime de genere humano mererent, et gloriam ea re quaesitam aliorum iuſtissimis amplissimis.

que

que triumphis longe anteponerent. cuius voluntatis  
 quo testatior esset memoria, nomen suum ac proprium  
 commodare paci in numis exprimendae non modo  
 non dubitabant, sed illud etiam, vehementer gaude-  
 bant, cum re utilissima et genti humanae in primis fa-  
 lutari, gratissimis populi sermonibus communicari, ac  
 pacem suo vocabulo augustam, immo vero, ut est in  
 quibusdam numis, Augusti nuncupari. Neque  
 tandem non videtur credibile, hanc notam eo consilio  
 ad pacem adscriptam fuisse, ut eius vis atque natura  
 quodammodo significata intelligeretur. ac grammatici  
 quidem negant liquere, vnde hoc verbum ductum sit;  
 potest enim ab augure, ab auium gestu gustuue, et ab  
 auctu aequa probabilitate ortum videri; vnde cunque  
 autem profectum ab initio fuerit, nihil enim attinet  
 eam rem hoc loco subtilius persequi, satis mihi erit ad  
 rem propositam, si persuadeatur, inueniri multos,  
 quibus, pacem ab augendo augustam vocatam esse, nec  
 stulte, placeat. et sane aut ego mirifice fallor, aut pacis  
 munus proprium hoc est, ut opibus copiis ac facul-  
 tatibus augeat, ut vitam nostram rebus optabilibus atque  
 expetendis cumulet, denique ut vniuersam rem publicam  
 maximis ornamentiis afficiat, singulis vero ciuibus  
 plurimum commoditatis iucunditatisque afferat. quo-  
 circa mirum videri non debet, rem omnium rerum  
 laudabilem  
 de



Laudabilium laudes complexam a summis atque insimis pleniore ore verbisque singularibus efferriri, ac cunctos scriptores, poetas maxime, pacis et otii amantissimos, ea laudanda nunquam satiari. Quodsi possem a me impetrare, ut contra morem meum ac consuetudinem facerem, imitarerque nonnullorum impudentissimam sedulitatem, quam pueri et istorum fontium ignari, tanquam copiosissimae doctrinae argumentum admirantur, huius libelli, quantum superest, pacis referre aeternis praeconiis licet, quorum quasi silvatum nostra nobis memoria, tum Landius et quis non? suggerit atque praestat. sed enim verendum esset, ne sicciamaretur a doctioribus: Inquis tandem ausus est eam vituperare? Igitur perspicuum esse videtur, quibus de caussis populus romanus pacem augustam dixerit.

Enimvero quo sensu populus iste aduersus pacem praeditus fuisse commemoratur, eodem sunt atque erunt omnes nationes, neque vñquam existet gens tam barbara tamque bellicosa, quae augustum hoc cognomen paci deneget, et amplius etiam, si quod excogitari possit, tribuere dubitet. ei rei indicio est sumnum illud desiderium, quo pacis extinctæ vulgo aestuant atque tabescunt: sunt gaudia, quibus eius vt cunque reuiuiscentis nuncii

ab

ab omnibus excipiuntur: clarissime autem demonstrant gratulationes, quae pro restituta pace, Deo immortali, publico priuatoque nomine, sub finem belli, ad omnia templa fieri solent. Ac nequeo quidem vetera illa Germaniae, carissimae que Saxonie, nedum exterarum gentium, quanta fuerint gaudia tali aliquo tempore, indicare, sed tamen iam aetas nostra pacem in hosce fines semel atque iterum redeuntem vidi tam incredibilis voluptatis sensum afferre, ut non solum ciues, sed tecta propemodum ipsa atque vrbes laetitia gestirent. At enim cum eiusmodi temporum ista sit conditio, vt sperari nisi post bellum exitiabile ac calamitosum non possint, ea videre plura ac crebriora bonus cuius non magis optabit, quam qui fracta naui feliciter enatauerit, aut ex morbo acuto ac diuturno conualuerit, vt saepe naufragium faciat, et cum vitae periculo aegrotet. neque tamen deerit votum, quod maiori pietate nec minori spe gaudii maximi quotidie faciat. id autem quale est? est, quod pro augustae pacis aeternitate suscipitur, ac simile prorsus ei, cuius vniuersa Germania et in primis Saxonia hoc ipso anno damnata immortaliter gaudet. Scio haec a me rerum gestarum conscientiis scribi, omniumque aures in peruvagatissimo ciuitatis sermone versari, atque eo necesse non esse, vt pluribus doceam, ante hos ducentos annos foedere Augustae,

Itae, quam vulgo Vindelicorum dicunt, religiosissimo  
 facto, euangelici ritus sacra, quae pro peregrinis ha-  
 ctenus erant habita, a Carolo V. Principe longe poten-  
 tissimo, cuncto senatu imperii approbante, quasi ciui-  
 tate donata, immo vero, ut nobis videtur, postliminio  
 in has pulcherrimas Germanias redisse, eodemque tem-  
 pore, iuris aequabilitatem, quod huius ciuitatis maxi-  
 mum est vinculum, ereptam vi et armis aduersario-  
 rum, egregia virtute Mauricij atque Augusti, Saxo-  
 nium, qui septemuiralem dignitatem praeter caetera  
 decora in domum regnaticem intulerunt, recuperatam  
 esse. et si enim eius rei tempus dudum praeteriit,  
 memoria tamen, ad quam animos nostros annus hic  
 quasi voce missa, reuocat, nobis non potest non gra-  
 tiissima accidere, cum eadem pace vsque ad hodiernum  
 diem vtamur, eiusque longe vberrimos fructus, inter-  
 posito quamvis duorum saeculorum interuallo, laeti  
 atque ouantes capiamus. Ac Flaminini quidem pace,  
 qua nulla est ex omnibus aetatibus nobilior, aut graecis  
 latinisque litteris magis celebrata, cum libertate tot ac  
 tanta bona Graeciae afferebantur, vt eius formula per  
 praeconem semel atque iterum pronunciata, mirabun-  
 di velut vanam somni speciem, vix tandem aurium  
 fidei crederent. at enim hae tantae et tam incredibilis  
 felicitates quam non fixae atque stabiles permanebant,  
adeo

adeo ut non tam ipsa pax, quam eius exigui temporis usu  
 rara redditu videretur, domesticis externisque armis paulo  
 post Graecia denuo vexanda, immo vero ab ipsis libera-  
 toribus romanis diripienda, ac durissima seruitute op-  
 primenda? quo magis Germaniae euangelicae fortuna  
 admirabilis videri debet; cui, amplissimo Dei munere,  
 pax non modo cum summa utilitate ac dignitate, sed  
 etiam sine exemplo diuturna, anno C I O I O L V die VII  
 Calend. Octobris data contigit, cuius solennia saecularia,  
 ut patres prima, IOHANNE GEORGIO I. principe  
 commemorabili pietate ac virtute praedito, supplicati-  
 onem constitente, summa caerimonia obierunt, sic nos  
 hoc tempore, FRI D E R I C I A V G V S T I, Maximi  
 imperio, exemplo Maioris, iussu hortatique, ut tam  
 pio ac necessario officio fungeremur, eius pacis sine  
 nostro periculo participes, secunda gaudii omnibus ex-  
 ultantes celebramus. ast enim praeter diuturnitatem  
 hac in pace et alia insunt singularia, quae in aliam nul-  
 lam conueniunt. qua de causa ego eam non quidem  
 augustam communi nomine ac vulgari, sed suo ac pro-  
 prio, longe augustissimam dicere ausim, non reuerens  
 suspicionem imperitorum, qui me aut saeculi tactum  
 ambitione, cui nihil placet modicum atque modestum,  
 aut partium studio incitatum ita fecisse arbitrentur.  
 quam suspicionem tum meus a me mos, tum rei ipsius

B

gra-

\* \* \*

grauissima auctoritas aliquanto magis propulsabit. Ac primo quidem manifestum est, eam rem non mediocri cura atque consilio Dei immortalis gestam esse, cuius nomine, vt Dauides in Psalmo CXI canit, nihil augustinus, nihil summa veneratione dignius excogitari potest. quotus enim quisque inuenitur, qui putet, rem nostram praelio Molibergensi victam atque profligatam, tanta et audere et efficere potuisse sine ope diuina, quanta incolumis optare vix ausa esset, nisi qui nullam vim caelestem existimet, numenque diuinum? quod vero Mauricitiis ad liberandam Germaniam ditinitus concitatus maximo sese pro patria praesentissimo que periculo obtulit, maiorem partem Germaniae cum viatore exercitu, sine vlla belli offensione, percucurrit, et adeo ex Saxonis in Alpium irga, intra duos menses omnino, euolauit: quod Carolo V. inuisissimo Imperatori, prium ac tantum terrorem incusit, vt nocturna ac miserabili fuga salutem peteret, ac pacem nostrorum humillimis precibus diu ac magna pertinacia negatam vltro offerret, satisque haberet, si viatores irati, proditum ab aduersariis insolentiae ac crudelitatis exemplum non imitarentur: quod denique Saxonis Epaminondae tantum valuit et mortui auctoritas, vt factum cum eo foedus, nouas optimatum discordias multis frustra molientibus, publice confirmaretur, et inter sacra-

sacratissimas leges imperii locum inueniret, nonne haec sunt valde admirabilia? miracula propemodum dicere, nisi Deus immortalis sapientissimo consilio suam adiuuari prouidentiam in ea re gerenda ab hominibus voluisse.

Atque hoc loco non videtur alienum, trium Augustissimorum Caesarum egregiam voluntatem laudare, nostri que Augusti studium incredibile praedicare, quos post Deum optimum maximum eius pacis principes auctores habemus. Ac Carolus quidem Imperator cum sibi yideretur et naturae et gloriae, cuius ab ineunte aetate maxime avarus erat, satis vixisse, cuperetq; reliquum tempus vitae distentae perpetuis bellis atque discordiis, tradita fratri republica, non modo in pace, sed in otio atque solitudine, quod postea fecit, transigere, ad pacandam Germaniam, tanquam ad extremum actum, ut facere in fabulis solent, magnopere properabat, ac nostrorum aequis et honestis postulatis pari aequitate concedebat. Ferdinandus autem ac Maximilianus, quorum ille fratri, hic patri successit, quibus internunciis ac deprecatoribus cum Carolo in primis agebatur, non modo non inuidebant, verum aperte etiam saluti nostrae fauebant, eiusque voluntatis erga nos prolixissimae in pace concilianda

maxima dabant documenta, in ea tuenda, admoti rei publicæ gubernaculis, maiora daturi. Neque vero Cæsarum altitudo Augusti nostri gloria, ea re conficienda quæsitæ officit. extat atque apparet Septemviri Saxonis fortitudo, qua inchoatum a Mauricio, acerbissima morte nobis erupto, beneficium absoluit; eminet ad sacerdorum admirationem eius firmitas atque constantia, qua quidem vrsit, institut, perfecit, neque villa vñquam ætas de tanti Viri laudibus conticescat. Igitur perspicuum est, quare ista pax nobis longe augustissima videatur, cum tot augustissimorum principum consente ac grauissima auctoritate facta sit.

Enimvero supersunt aliæ caussæ bene multæ, quibus de caassis Augustanæ paci nomen istud singulare atque eximium debeatür, quas quidem, breuitatis nostræ memores, percurremus. Itaque si pacis leges atque conditiones latas eo tempore spectamus, statutum esse cognoscimus ius æquabile in omnibus vtrique parti; de moris autem nostri sacris diligentissime sanctum, vt ea nè vexare, violare, perturbare, euertere liceret, magna ac gravi poena proposita iis, qui contra facere auderent: vtrique nemini ea sacra probro aut criminis postilla essent, aditumque ad honores et magistratus in republica gerendos præcluderent: vtrique nostri

nostri principes de caussis religionis ac cærimoniarum cognoscerent, statuerent, iudicarent, quam potestatem sibi antea pontifices cum maxima imminutione principalis auctoritatis vindicauerant, et etiam nunc in terris, quæ ipsorum iure continentur, indignantibus frustra ciuibus acerbissimum seruitutis iugum, ut pontem Araxes, vindicant. Atque isto pacto belli ciuilis per omnem Germaniam sopito furore, prisca illa et antiqua rei publicæ forma retrocabatur: sacris honos, et principibus maxime nostrarum partium auita maiestas redibat. quibus rebus ego sane non video, quid augustius esse in rebus humanis possit.

Præterea pax ista conuenit in splendidissima rhæticæ prouinciae colonia, quam Tiberius Cæsar condidit, et ex patre Augusto Augustam nominauit, in ea vrbe, quæ cum primario ecclesiæ nostræ symbolo inditum sibi amplissimum nomen communicauit, et vnde omnes eius libri, id est, diuinam auctoritatem vnicse sequentes a cæteris Christiani nominis sectis discernuntur: coaluit ipso tempore comitiorum, in illa sede atquæ templo publici consilii, in conspectu confessuque imperii senatus, quem vere proprie que regum confessum dixeris, aut maiori certe iure, quam cuius adspexit Pyrrhilegatos in yrbe româ magno

magno horrore perfuderat. Tam mirabiliter omnia  
huic paci ad consequendum augustissimum cognomen  
suffragantur!

Tandem vero, quod primo loco commemorandum erat, nisi magis temporum rationi, quam gratissimi animi demississimæ pietati obtemperandum fuisset, non prætereundum videtur, sed palam prædicandum, esse Augustissimum Regem, Patriæ Patrem Indulgentissimum, qui pacem eam, virtute Maiorum partam, ad hunc usque diem foueat, defendat ac tueatur: esse **FRIDERICVM AVGVSTVM**, quo maxime fauente hanc saecularem gratulationem Deo immortali secundum faciamus. Quemadmodum autem Optimi Principis Indulgentia animos nostros hoc maximo gaudio auxit, ita ille, quicum socium habet nomen,

Augeat Imperium nostri Dux, augeat annos, Ouid. Fast.

Protegat et Vestras querna corona fores. I. 713.

Auspicibus que Diis tanti cognominis Heres

Omine suscipiat, quo Pater, Orbis onus.

Haec est summa votorum, quae pro REGIS  
POTENTISSIMI sera immortalitate, pro que  
DOMVS AVGVSTAE maiestate æterna quotidie  
facimus, ac singulari pietate eo die faciemus, quo et  
schola

schola nostra, cum maior pars ciuitatis vicem suam officio nuper functa sit, augustissimæ pacis memoriam suo more celebratura est. Res autem geretur ita, vt ego quidem primo orationem sœcularem habeam, deinde vt disciplinæ nostræ alumni, quorum nomina infra adscripsimus,

**ERNESTVS FRIDERICVS VVESTHOFIVS,**

Plauiensis,

**IOHANNES CHRISTIANVS KLINCKHARDVS,**

Nesicauio-Nariscus,

**IOHANNES THEOPHILVS FACILIDES,** Plauiensis

**IOHANNES ANDREAS STAVSIVS,** Lengefeldensis,

**GÖTTLOB AVGVSTVS RVDERTVS,** Plauiensis,

**CAROLVS SEGIMUNDVS GRIMMELIVS,** Plauiensis,

**GOTTHELFF FRANCVS,** Oribacensis,

**GEORGIVS AVGVSTVS VVIDEMANNVS,** Crizensis,

**CHRISTIANVS FRIDERICVS KRAVSIVS,** Plauiensis,

**IOHANN**



JOHAN. CHRISTIANVS STEINHAEVSSERVVS,

Plauiensis,

JOHANNES FRIDERICVS STEINHAEVSSERVVS,

Plauiensis,

diuina humanaque, in primis Serenissimorum Saxonum de re euangelica merita, carminibus et orationibus extollant; tandem vero, quem locum sibi ipsi attribuerunt, collegi mihi coniunctissimi, et rem nostram egregie ornantes,

M. IOH. SEGIMUNDVS GRIMMELIVS

Conrector,

M. GODOFREDVS VVENDLERVS,

Tertius,

huic paci æternitatem augurentur, et auditorum humanitatem ac benevolentiam exquisitissimis verbis laudent, quos cum Grauissimis scholæ Curatoribus ei rei, die VI Octobris a IX. ante meridiem, frequentissimos interesse, vehementer cupimus, et ad ita faciendum omnes virtute ac doctrina præstantes perofficiose inuitamus. Plauia Narisc. d. V. Octobr. c. 11 cc. 54.



**ULB Halle**  
006 568 076

3



VD18





De pace Augusta vere Augusta.

Q. 188<sup>a</sup> 6

AD

PACIS AVGVSTISSIMÆ SÆCVLAREM  
**MEMORIAM**  
IN SCHOLA PLAVIENSI

DIE VI. Octobr. CCCCCCLV

AB HORA VIII. ANTE MERIDIEM  
CELEBRANDAM

INVITAT

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS  
RECTOR



PLAVIAE, LITTERIS HALLERIANIS.

